



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Commentarius Secundus In Octo Libros Physicorum Aristotelis

Crespin, François

Bruxellæ, 1652

III. Quodnam sit Principium immediatum quo Accidentium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95369)

bus concausis, per quas sit ultimò determinata, ad secundam actionem v. g. membranificationem, ad secundam actionem tribuitur, & sic de aliis, quidni eadem actio, positis omnibus ad suum effectum requisitis, & accedentibus aliis actionibus partialibus, per quas sit ultimò determinata ad primum effectum, v. g. primam formam post commixtionem, & fermentationem, ad primum effectum terminabitur, & non nisi hoc effectu mediante, & accedentibus aliis actionibus partialibus, per quas sit ultimò determinata ad secundum effectum, v. g. secundam formam, sive membra, ad secundum effectum terminabitur, & sic de aliis: quia non aliter actio partialis est ultima determinatio ad suum effectum, quam causa partialis ad suam actionem; nec minus est permanens in esse (ut infra probabitur) quam ipsa causa, ex his omnibus sit

CORROLARIUM I.

EXXIII. Colliges 1^o aliquousq; declarari posse Creationem, quâ vis illa seminis conformata materiam seminis tali ordine & situ in venas, arterias, nervos, intestina, carnem, ossa, &c. mirabili arte & ingenio disponat: id enim fit, non quia talis est natura seminis (ut vult Dominus Fromond. loco n. 61. citato, quia id ibi rejectum est) sed actione agentis principalis, aut formaliter, aut eminenter, corpus perfectè organicum continentis, quæ in semine permanet, modo n. 67. dicto determinabilis; quia tamen suppleri potest per traducem animam; dubius hæsit Augustinus, an in semine esset tradux anima, q. 80a. in Exodum lib. 2^o. cap. 178. operis Imperf. Enchir. cap. 86. nos verò, quia jam certò credimus animam ab anima non creari, ac proinde nec traduci, isti sententiæ, quæ videtur Divi Thomæ pluribus locis, adhæremus; S. Thomas enim 1^a. p. q. 118. art. 1^o ad 3^{um}. sic habet, *virtus illa activa, quia est in semine, ex anima generantis derivata, est quasi quædam motio (nota id est actio) ipsius anime generantis.* Et lib. 2^o contra gentes cap. 89. *ipsa virtus, quæ cum semine deciditur, & dicitur formativa, non est anima, neque in processu generationis (ubi excludit translationem animæ) fit anima: sed cum ipsa fundetur, sicut in proprio subiecto, in spiritu, cuius est semen continuum, sicut quoddam spumosum, operatur formationem corporis, prout agit ex vi (id est actione) quia vim aliam totâ hac Resolutione repulimus) anime patris.* Vnde pro hac difficultate ævi nostri Medici D. Thomam adire debent, non Galenum; qui lib. de Conform. fœtus, narrat se totam vitam in huius difficultatis investigatione & admiratione transgisse, atque à Philosophis sui ævilucem quæsituisse; sed tenebras tantum majores & tristitiam retulisse.

CORROLARIUM II.

EXXIX. Colliges 2^o. causam totalem substantiarum, sive viventium, etiam hominum, sive non viventium, esse substantias & accidentia; principalem quidem corpora coelestia, elementa substantiæ similis rationis, earum accidentia, &c. quia contingere non potest, quòd hæc non sint perfectiora, vel æque perfecta, effectu substantiali productò; instrumentalem illa accidentia, quæ respectivè ad substantiam sunt earum instrumenta, cum indigeant earum coöperatione

& auxilio ad producendas substantias, & scorsim ab illis sint imperfectiora effectu productò.

Dixi, etiam hominum; quia licet corpora coelestia ad creationem animæ hominis non concurrant; ad generationem tamen hominis, conformationem, membranificationem, carnificationem, ossificationem, &c. concurrere patet, tum experientia, quòd partus sub tali, vel tali constellatione natus, alias habeat propensiones, imò interdum infirmitates, quàm natus sub alia: Vnde, astra dicuntur illos ad hoc vel illud inclinare, sed non necessitare; item quædam esse viventium generationi propitia, quædam noxia; tum 1^o. autoritate D. Thomæ de malo quæst. 3^a. de causa peccati art. 2^o. *necesse est enim omnes motus causarum secundarum causari à primo movente, sicut omnes motus inferiorum causantur à motu cœli*; illi autem motus causantur à primo movente immediatè ut principio quo, ut infra patebit; ergo & hi à motu cœli: tum 2^o autoritate Aristotelis 2^o. Phyl. textu 26^o, *sol & homo generant hominem*; ubi Aristoteles accipit solem pro omnibus astris ad generationem concurrentibus; unde non satis attente P. Lupus dictæ suæ Apologiæ fol. 75^o. dicit, ista esse falsissima, & nullam veritatis apparentiam habere; prima ratio ipsius est; quia multa generantur nocturno tempore, quo nulla est solis in nos actio & operatio: hæc ratio omnino nulla est; quia licet sol non luceat, eo tempore sunt astra & eorum in nos operationes: secunda, deberent esse instrumenta alicujus causæ principalis creatæ, vel increatæ, quorum neutrum (inquit) rectè & sapienter dicitur: Respondeo esse instrumenta causæ creatæ (ne alioqui, uti ipse, & alii, videamur velle ad Deum sine necessitate recurrere) quâ parte producunt effectum se nobiliorem, & ad id coadjuvantur & elevantur à causa se nobiliori: malim tamen illa denominare causas comp principales; quia rarò contingit illa elevari & coadjuvari ad effectum se nobiliorem à causa se nobiliori: quòd autem ibidem dicat, causas Universales (ut sunt astra) non posse instrumentaliter & ministerialiter subijci & subordinari causis particularibus, apertè falsum est; quia illis subijci, & subordinari, non est esse minus amplè, & extensæ activitatis, ut vult, quàm id cui subijciuntur, vel subordinantur, sed indifferentis & determinabili: ab ipso, prout est Deus, in sententia plurimorum, ad concurrendum cum creaturis, qui tamen est causa universalissima.

DVBIVM III.

Quodnam sit principium immediatum quo Accidentium.

ANTE Resolutionem
EXX. Suppono accidentium, alia esse naturalia, quorum, quædam sunt primo instanti juxta exigentiam naturæ debita, ut calor respectu ignis, frigus respectu aquæ; quædam non nisi aliis instantibus, ut motus sursum respectu ignis, motus deorsum respectu terræ, & qualibet actio extranea respectu suæ causæ: alia extranea, id est indebita, & ab extrinseco agente provenientia. Hoc supposito, sit

K

R 2-

RESOLUTIO I.

LXXI. **D**ico 1^o. Principium immediatum quo accidentium connaturalium, sunt forma substantialis compositi, causa ejus substantialis producens, & hujus proportionata instrumenta.

LXXII. Probant primam partem PP. Arriaga, Oviedus, Poncius & alii communiter, aqua seipsam reducit ad pristinum frigus, quod violentia agentium circumstantium ei fuerat ademptum. Verum hoc negari potest, & dici aquam reduci ab agentibus circumstantibus, & residuo frigore fortioribus, quam agentia opposita; alioqui non reducendam, prout nec reduceretur, si poneretur in vacuo: quare aliter

LXXIII. Probatur conclusio, nulla est ratio denegandi substantiae, aut accidenti proportionato, virtutem producendi accidens, quod ad sui praesentiam producitur; sed accidentia connaturalia producuntur ad praesentiam formae substantialis compositi, causae substantialis producentis, saltem secundum suam actionem permanentem, & hujus proportionatorum instrumentorum; ergo principium immediatum quo accidentium connaturalium sunt forma substantialis compositi, causa ejus substantialis producens, & hujus proportionata instrumenta: Probatur consequentia, quia causae plures proportionatae sufficienter applicatae, cooperantur; non enim est ratio, cur una potius, quam alia operetur, & effectum producat; sed forma substantialis compositi, causa ejus substantialis producens, & hujus proportionata instrumenta, sunt causae proportionatae, & sufficienter applicatae ad producenda accidentia naturalia, ergo, &c. Probatur haec minor, quia solum dubium esse potest de causa producente substantiali ipsius formae productae, & illa tam est applicata ad producenda accidentia connaturalia formae substantialis compositi, quam ad hanc formam substantialem producendam, ut patet.

LXXIV. Confirmatur 1^o. potentiae vitales, quae non distinguuntur realiter ab anima, sunt principium immediatum quo suarum actionum; sed illi actus sunt accidentia connaturalia, non quidem primo instanti, sed aliis instantibus, debita, ergo, &c.

LXXV. Confirmatur 2^o, ex Aristotele lib. 3^o Physic. cap. 4^o. qui dat formam, dat consequentia ad illam; sed consequentia ad illam maxime sunt accidentia connaturalia; ergo causa substantialis, & ejus instrumenta proportionata sunt principium, saltem parziale, immediatum quo accidentium connaturalium: probatur consequentia, quia haec dant formam.

LXXVI. Respondetur communiter, Aristotelem intelligendum sic, ut velit à generante virtualiter, & mediatè tantum dari consequentia ad formam, ab eo, qui dat formam; verum haec Responsio est mihi improbabilis; nam dare formam, est causare formam; illud autem non causat, quod mediatè, seu quod sola sua virtute mediante, causat; alioqui Adamus adhuc jam generaret proles, quae hodie nascuntur; causare enim, non est causam, seu virtutem causandi habere, sed causalitatem, sive actionem, quam reverà causa mediatè, non habet. Hinc

LXXVII. Collige contra Toletum & Compluten-

ses nostros, non solum generantem formam substantialem; nec, contra Poncium, Scotistas, Suarezem, Hurtadum, Arriagam, Oviedum, Telles, &c. solam formam substantialem productam producere sua accidentia connaturalia primo instanti debita, sed omnia à nobis in Resolutione enumerata simul.

RESOLUTIO II.

LXXVIII. **D**ico 2^o. principium immediatum quo accidentium extraneorum, de facto est forma substantialis compositi, instrumenta ejus, & quaelibet causa proportionata sufficienter applicata: est contra Scotistas, Suarezem, Poncium, Oviedum, &c.

LXXIX. Probatur Resolutio, ubi ad praesentiam diversarum causarum proportionatarum, & capacium effectus producendi, producit effectus, non est, cur una potius, quam alia dicatur de facto principium immediatum quo effectus producti, omnes dici debent principium, &c. sed substantia, instrumenta ejus, & quaelibet causa proportionata sufficienter applicata sunt causae proportionatae & capaces, & ad praesentiam earum producuntur accidentia extranea; ergo omnes illae sunt dicendae principium immediatum quo accidentium; major & minor pro 2^a & 3^a parte patent: minoris itaque pars prima probatur; sol, piper, & similia producant in passio extraneo calore; haec verò, non sunt in se formaliter calida, ergo secundum suam substantiam producant in passio extraneo calore.

LXXX. Confirmatur, quod est principium immediatum quo causae, potest esse principium immediatum quo effectus illius ejusdem cum illa rationis; sed secundum adversarios causa caloris extranei de facto est calor connaturalis, ignis v. g. cujus, juxta primam Resolutionem, causa & principium quo immediatum de facto est forma substantialis compositi, causa hanc producens, & hujus instrumenta proportionata, & sufficienter applicata; ergo & caloris extranei causa, & principium quo immediatum de facto est forma substantialis compositi, instrumenta ejus, & quaelibet causa proportionata & sufficienter applicata.

LXXXI. Objicies 1^o ex P. Arriaga; calor existens in aqua, vel inter species Eucharisticas, solus producit calorem in manu; quia, ut patet, à forma substantiali aquae, vel alia, ad id non juvatur; ergo & solus jam calor in igne.

LXXXII. Respondeo negando consequentiam; est enim disparitas, quod in primo casu deficit causa substantialis proportionata; in secundo adicitur causa autem proportionata sufficienter applicata necessario agit, si necessaria, de qua hic.

LXXXIII. Objicies 2^o ex P. Poncio; si ignis posset per suam substantiam producere calorem in extraneo subjecto, frustra daretur illi calor à natura; sed hoc non est dicendum, ergo, &c. Probatur major, quia quidquid posset facere per calorem, posset facere per propriam substantiam, ergo, &c.

LXXXIV. Respondeo distinguendo majorem, si ignis, &c. frustra daretur illi calor ad producendum alium calorem, concedo majorem; ad perfectionem accidentalem ipsius ignis, & ut calor haberet causam univocam non secus ac ignis, nego majorem; illa enim utilitas est satis magna: unde dic non dari igni calorem simpliciter ad producendum calorem

lorem, sed ad perfectionem, uti lapidi gravitas datur, & ut calor haberet, &c.

LXXXV. Addi potest dari calorem igni ut propriam ignis perfectionem; ignem tamen etiam per hunc extraneum calorem producere; quia agens ex natura sua agit ad assimilandum sibi passum; agens autem hic est forma ignis, & calor proprietates ejus; ergo & passum debuit esse forma ignis & calor ab igne & calore ejus producti.

LXXXVI. Petes quænam accidentia sint activa transcurrentia?

LXXXVII. Respondeo verisimiliter solas qualitates; quia illæ solæ sequuntur formam, quæ est principium activitatis transcurrentis; non tamen omnes, quia sonus, colores, & odores videntur tantum agere intentionaliter, seu per speciem sui impressam. De raritate & densitate infra.

D V B I V M IV.

An productio formæ novæ sit prior expulsionē veteris cum ipsa impossibilis: an è contra.

R E S O L U T I O.

LXXXVIII. **D**ico, introductio dispositionum ad formam novam, & destructio dispositionum ad veterem; introductio novæ formæ substantialis, & destructio veteris, sunt in eodem indivisibili instanti temporis, sed illæ in priori naturæ, hæc in posteriori.

LXXXIX. Probant communiter primam partem; quia alioqui, si introductio dicta sit prior tempore, erunt simul in eodem subjecto duæ formæ contrariæ & totales substantiales; si verò destructio sit prior tempore, materia erit aliquo instanti sine omni forma: verum horum utrumque naturaliter fieri supra probavimus: unde probatio ista corrumpit. quare aliter

LXXXX. Probatur prima pars; quia introductio

& destructio, &c. non minus possunt esse simul in eodem indivisibili instanti, quàm causa & effectus; nam reverà sunt causa corrumpens, & effectus corruptus, ergo, &c.

LXXXXI. Probatur secunda pars; quia sicut inter Theologos prius naturà est peccatum, quàm expellatur gratia; nam perit gratia, quia committitur peccatum; ita inter Philosophos prius naturà est frigus, quàm expellatur calor, & sic proportionaliter de forma substantiali; nam perit calor, quia introducit frigus.

LXXXXII. Objicies, si introductio novæ formæ esset prior naturà desitione veteris, essent simul tempore & naturà forma vetus & nova, gratia & peccatum, forma ignis & aquæ, &c. sed hoc est absurdum, ergo &c.

LXXXXIII. Respondeo negando majorem; quia eo tempore, quo est causa, est effectus, ac proinde, quo tempore est forma nova causa corrumpens, est forma vetus corrupta five effectus causæ corrumpentis; neque tamen causa & effectus sunt magis simul naturà, quàm causa sit effectus; in nostra enim sententia, quæ docet esse prius naturà nihil aliud esse, quàm esse causam; & esse posterius naturà nihil aliud esse, quàm esse effectum, facile hæc, & alia, solvuntur objectiones, quæ contra hanc Resolutionem fieri possunt: unde cum dicitur in illo priori, in quo est forma nova, vel est forma vetus, vel non? si non, ergo est destructa; si sic, ergo sunt duæ formæ contrariæ simul: in nostra sententia sensus est, in illo priori, in quo est forma nova, vel forma vetus est forma corrumpens, vel non? quia esse in illo priori est esse causam; quod est ridiculum (licet ad id alii valde obscure & difficulter respondeant,) quisenim dicat in priori quod est forma nova, id est, quod est causa corrumpens veterem; similiter veterem esse corrumpentem? nisi dixerit idem simul esse corrumpens & corruptum, ac per consequens, esse & non esse.

DISPUTATIO VII.

De causa Efficiente Increata.

D V B I V M I.

Quid Dei cum Causis secundis concursus, & quotuplex.

Ante Resolutionem
Suppono concursum ex etymologia nominis esse duorum cursum, ac proinde concursum in proposito esse Dei & creaturæ cursum, five actionem, ut omnes Philosophi ac Theologi cursum istum interpretantur; unde sicut actio, five creaturæ ut causæ efficientis causalitas, dupliciter considerari potest, semel in actu primo, & iterum in actu secundo; ita concursus Dei dupliciter considerari potest, semel in actu primo, & semel in actu secundo. Hoc supposito, sit

R E S O L U T I O I.

I. **D**ico 1^o. Dei cum causis secundis concursus in actu primo est virtus increata, &

creata potens operari; sic nempe, ut sit in actu primo remoto tantum, si remotè tantum potens, in proximo, si proximè potens operari.

III. Probatur à proportionem sumpta ex dictis supra lib. 3^o. Disput. 5. Dub. 2^o. de cursu five causalitate in actu primo, nempe, quod sit virtus potens operari; ergo concausalitas five concursus Dei cum creaturis in actu primo, est virtus Dei increata, & virtus creaturæ creata, potens operari,

R E S O L U T I O II.

IV. **D**ico 2^o. Dei cum causis secundis concursus in actu secundo est actio virtutis increatæ, & creatæ potentis operari.

V. Probatur similiter à proportionem sumpta ex dictis loco citato de cursu, five causalitate, in actu secundo, nempe, quod sit actio, five operatio, à qua causâ denominatur agens, five operans effectum; ergo concausalitas, five Dei cum causis secundis concursus in actu secundo, est actio, five operatio